



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Resolutio S. Doctoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

potest in suis actibus esse recta, nisi aliquo modo sit divinæ voluntati conformis. *Rectum cor habet* [inquit Augusti. in Pl. 32.] *qui vult quod DEUS vult.* Potest autem hæc conformitas haberi tripliciter. Primò, ut velimus, quod DEUS vult nos velle, idque vel consulendo, vel præcipiendo. Secundò ut velimus hoc ipsum quod DEUS vult, quæ conformitas dicitur esse in *volito materiali.* Tertio, ut velimus modum & rationem, sub qua DEUS aliquid vult fieri; & hoc est conformari divinæ voluntati in *volito formali.* Quibus positis

2. *Certum est primò:* quamdiu divina voluntas DEI non est nota, non esse obligationem, ut voluntas humana conformetur divinæ, quia nulla regula obligat, priusquam sit debite promulgata, sed ante noticiam divina voluntas homini non est debite promulgata: ergo.
3. *Certum est secundò:* non esse obligationem, ut homo velit, quod DEUS vult ipsum velle solam voluntate consilii, bene autem, quod vult ipsum velle voluntate præcepti; quia videlicet *teneatur homo in omnibus divinis præceptis obedire.* S. D. 2. 2. q. 104. a. 4. ad 3.
4. *Certum est tertio:* Possit non tantum appetitum sensitivum, sed etiam rationalem, h. e. voluntatem dissentire à voluntate divina in *volito materiali,* prout voluntas est natura sive inclinatio totius naturæ. Unde & Christus Dominus secundum voluntatem hoc modo consideratam refugiebat mortem, dicens: *Pater, si possibile est, transseat à me calix iste.*

Procedit ergo quaestio, an humana voluntas, circa alia motiva liberè operans, teneatur conformari voluntati divinæ in *volito materiali,* vel *formali.*

§. II.

Resolutio S. Doctoris.

5. **CONCLUSIO** S. Doct. hic q. 19. a. 10. est: *Voluntas humana tenetur conformari voluntati divinæ in volito formaliter, tenetur enim velle bonum divinum & commune, sed non materialiter.*
Ratio 1. partis est primò. Conformari voluntati divinæ in *volito formali,* est intendere sive formaliter sive virtualiter eundem scopum & finem, quem divina voluntas intendit, nempe suæ divinæ bonitatis, aliarumque increatarum perfectionum ostensionem: sed voluntas humana in suis operationibus ab hoc fine licitè discrepare non potest: ergo tenetur se divinæ voluntati in *volito formali* conformare.
Secundò. Omnis conversio in finem honestum, est quædam implicita saltem conformatio cum divina voluntate in *volito formali;* siquidem honestas creata est participatio honestatis & bonitatis increatæ: Atqui homo in omni sua operatione tenetur converti in finem honestum: ergo tenetur etiam se conformare divinæ voluntati in *volito formali.*
6. *Secunda pars probatur primò* authoritate D. Augustini in *Enchirid.* c. 101. dicentis: *Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid, quod*

DEUS non vult; tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem DEUS bonâ voluntate vult mori.

Probatur secundò ratione. Potest DEUS aliquid velle, quod per rationes æternas & universales DEO tanquam causâ universali perceptas apparet bonum, secundum particulares vero rationes, secundum quas creatæ voluntati representatur, apparet malum: sed hoc casu creatæ voluntas non tenetur conformari voluntati divinæ in hoc objecto & *volito materiali,* imò tenetur velle contrarium: ergo. E. g. Vult DEUS parentem mori vel damnari ex fine universali licite cognito; non ideo filius licitè potest appetere mortem, vel damnationem proximam: licet de iudice intuitu boni communis licitè vult occidere latronem, cuius tamen occisionem uxor aut filius, qui bonum privatum familiæ intuentur, licitè non potest appetere. Sic licitè petimus, & oramus, ut DEUS à nobis pestem, famem, bellum, morbum, frigus, aliæque mala avertat, imò vult, ut ista velimus, & media his operatione adhibeamus, & tamen hæc mala obdivinæ voluntatis altiore finem intuitu admisione contingunt.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Dices primò. Beati in celo conformantur divinæ voluntati non tantum in *volito formali,* sed etiam in *materiali;* ergo hoc idem facere debent viatores in terra: siquidem instrumur DEUM orare, *ut fiat voluntas ejus sicut in celo, & in terra.* Respond. negando consequentiam, & paritatem, quia Beati in patria cognoscunt divinæ voluntatis *volitum materiale* secundum rationes æternas & superiores, viatores vero solummodò secundum rationes particulares & inferiores.

Dices secundò. Non datur *volitum formale* divinæ voluntatis in abstracto, sed in concreto: ergo si creata voluntas tenetur esse conformis divinæ voluntati in *volito formali,* tenetur etiam esse conformis in *volito materiali,* quod unâ cum *formali* constituit integrum concretum *volitum.*

Respond. distinguendo consequentiam: tenetur esse conformis divinæ voluntati in *volito materiali,* quatenus illud subsistat *formali,* concedo; absolute, nego. Quo eodem sensu petimus in oratione Dominica fieri voluntatem DEI sicut in celo & in terra.

Dices tertio. Lex amicitie requirit concordiam voluntatum: ergo creata voluntas ne quidem in *volito materiali* debet discordare à voluntate divina.

Respond. ex S. D. q. 24. de verit. a. 2. ad 1. quod concordia voluntatum, quam præscribit amicitia, magis consistat in convenientia & conformitate quoad finem *volitum,* & rationem volendi, quam quoad ipsa *volita,* adeoque magis in conformitate ratione *voliti formalis,* quam *materialis.*